

21a

VIRGO IN SOLE
SOL IN VIRGINE

Ectypo Virginitatis Parelio

Alter in Altero relucentes

SEU

VIRGINEUS APOSTOLUS

THEOLOGORUM SOL

DIVUS

JOANNES
EVANGELISTA

IN

Cœnæ Dominicæ Primordio

Pectori

SOLIS JUSTITIÆ JESU

incumbens.

Coram Senatu,
Populóque Academico, Cæsa-
reæ, Regiæque Universitati Carolo-
Ferdinandeæ Pragensis,

IN BASILICA SALVATORIS

Collegii Cæsarei, & Academicici Soc: JESU
ad S. Clementem,

SUB RECTORATU

Admodum Reverendi ac Eximii Patris

P. JOANNIS
MILLER

è Societate JESU, Sacro-Sanctæ
Theologiæ Doctoris,

Cæsareo-Academicici Collegii ejusdem Societatis ad S.
Clementem Vetero-Pragæ, nec non Almæ Cæsareæ, Regiæque
Universitatis Carolo-Ferdinandeæ Pragensis, p. t.

RECTORIS MAGNIFICI,

Panegyricō celebratus,

Patre GREGORIO WIDMAN Societatis JESU Religioso.

ANNO 1711. Die Maji.



ORATIO.



Oláne adhuc artium apex, scientiarum pupilla, lucis filia, Phœbi Parelion Astronomia, tellurem exosa, cælum in terris anticipabit, & sympathetico siderum erecta magnetismō in incorruptis illis beatitatis sedibus ad illicia hospitabitur? nunquid & Theologicis se se aquilis perniciori alatum remigio ad solem interdum librare negabitur: & Oratoria penæ luculentiori assumpta materie ad siderum provocare claritatem? erigere svadæ ocelle, agilitatis dote inter mortales prædite, in palpebrarum noctu immensitatem emensure, in pellucida astrorum tollere specula, novam illic constellationem spe culature! Non eges ludione tuborum adminiculò, angustò radiorum alveò: non vitrorum augmentò, nubilo fragilitatis partu: non dioptræ ænigmatis, arctioribus dimensionum ludibriis: non optices umbraculis, maculas vel soli affingentibus. Tutiùs Theologicæ fidei lumen, DEI ficitur Palladis dirigere, celsius Tullianâ pennâ, Apocalypticò auspicio eluctabere. Ergo luctare! Ergo scrutare! Novum tibi cælum & terram novam Evangelica indigitat Charis: cælum in terras contractum, & amabili consortio terris immersum: novum solem, sed stellas non obscurantem: novum lumen, sed sine umbbris: novum phænomenon, sed sine apparentiis: novum cometen, sed sine fato: novum planetam, sed sine devio. Quale hoc existimas astrum divinatrix Uranie? An Theosophicæ Cynosuram in amplissimo scientiarum oceano fidif-

fidiſſimam directricem polo immobili vicinissimam? *incor-*
ruptio facit proximum DEO; hic ničitas. An Genitricis ejusdem
Geminos, ubi sol est in auge, est in excessu, Castore mortalem,
Pellucem immortalem, quorum dum alter in cruce occidit, al-
ter oritur (a) *mulier ecce filius tuus*. hic hæſitas. An Boanergis

(a) *Joān.*
12. v. 26.
aquilæ Apocalypticum ſidus Tonanti fulmina deferens, ſed

(b) *Exech.*
1. v. 11.
Aquariō ſeu facie hominis, ſed Taurō ſeu facie bovis, ſed Ne-
meæō ſeu facie Leonis longè eminentius (b) *facies aquila de-*

super. hic palpitas. Sphingem astronormam theosophus diſ-
ſolvat Oedipus, & dum in Theandrico Joannem recumbere
conſpicit pectore, non jam ſolem dicat radiantem in Virgine,
quod ſuſpicit Augustus, ſed Virginem eſſulgentem in Sole
quod epulum exhibet, Auguſtissimum. Quamquam ità Vir-
go in Sole, ità Sol in Virgine mutuō inneſtantur commerciō: ut
Solem & Virginem unum eſſe Theologorum aſtrum arbitrēre.
Tam rara quippe Ejus cum Sole Divinissimo eſt concen-
tratio, tam mira conſtellatio, ut cor Phœbeum tangat, ſinui
veri luminis immergatur, plenum illustrationis pelagus inter-
cipiat; & tamen (ubi astronomia pene ſiderēre ſvada, ubi
aſtrologa pene ničaveris pupula) & tamen citra ecliptim.

Extollimini hodie in ſidera, ſiderum æmulæ, lucis publi-
cæ phosphoræ, universi luminaria, cælo lapsæ, imò cælo illapsæ
Universitatis hujus Facultates Ampliſſimæ; extollimini in ſi-
dera, unanimique niſu Joannem mecum in ſidera evehite,
quin cælum in terras trahite: hæc enim in terris adhuc relu-
cens conſtellatio & mysterium eſt, & prodigium. Affulge
Magnifice Rector, Spectabiles Decani, illustrate Eximii, Clarif-
ſimi, Excellentissimi, Doctiſſimique Professores, influxum in
me ſidereum derivate & cæteri Auditores honorandissimi; &
quamquam humi repens facundia mea minimè fastuosum in
Olympi fastigia ſupercilium inferat, ſed velut in firmamento
ſuo in Sole fixa ſit & Virgine: ſi tamen quadrigam vobis Solis
Iuſtitiæ, ſi diviniorem gloriæ currum, ſi Apocalypticum Nu-
minis eſſedū agere libet, pari cum ſole curriculo, & Virgineum

Joan-

Joannis fidus Virginem in sole provehetis. Affulgete.

Joannes grande nomen! nominum prodigium: prodigiiorum vox! cælo parente sin minùs ortum, certè dignum! ut pote cui gratia transiverit in naturam; vel enim chlamydatum camelorum exuviis Jordanis Accolam, eo nomine compellamus, & ignorat mortalitas grandius nomen Joanne, (c) quo (c.) Matt. non surrexit major: vel reclinem in convivantis VERBI gremio^{II. v. II.} indicamus Discipulum, & hem! quantorum nominum ilia- dem trifyllabæ vocis elenco absorberi admirabimur. Compegit fastuosa olim Ægyptus uno in Trismegisti nomine, celebrem nominum triadem, dum Regni caput, Pontificum Principem, Sophorum Palladium in purpurato suo Mercurio adoravit; at plura hodie in una Joannæ appellatio nomen clatura sepeliuntur nomina, plura Numinis conduntur sacramenta; triformis hic relucet Cynthius, dum una hæc vox aut uterus illustrium titulorum profapiæ est fœcundatus: aut felicissimum est cornucopiae: è quo florum, frugum cælestium nunciaræ voces Pæstano imbre eructantur. Una in Joannis nomine totidem planetarum quot literarum hebdomas septena attoniti orbis prodigia portentorum feracitate antevertit, una longo pedissequorum elogiorum syrnate citra fastum intumescit, dum etiamnum sacris in voluminibus suis Divino entheatæ Spiritu Patrum Beatorum concertant pennæ, quanam laudis condignæ compellatione indicent Verbi Evangelistam; immò ipsi foederati gloriæ tituli ardente prælio pro Joannæ jurgantur encomiis, gratiam ducturi in triumpho, si Joannem gratiosum Apostolici Senatus Collegam alter alteri præripiant. Nolo moras nectere eruditis auribus importunas, tantis Joannæ nominis splendoribus obscurioris svadæ Mæandris nolo umbras affundere. Sacratoribus cedo rostra Tullii ingeniosiore studio Joannem in theodidacto Vatum synedrio Prophetam, in duodenario Salvatoris Magistratu Apostolum, in Apostolico Magistri DEI collegio Discipulum Di- lectum, in purpurato cruentorum testium exercitu Marty-

rem, in Dominico cœnæ supersubstantialis convivio, Divinis-
simô recumbentem pulvino Convivam, in liliato agni Sionæi
choragio Virginem, in quadrijugo Evangelicæ gloriæ essedo
volucrum Reginam, in ecstatico sapientiæ Divinæ Lyceo Theo-
logum, universum denique cælitum cælorúmque splendorem
in gratiosa hac epitome felicissimè adorantibus. Papæ ! in
uno nomine quanta nomina! admiror tantos ac tam profu-
sos encomiorum sumptus, conjuratam in innocentem Disci-
pulum honoratarum tot vocum veneror procellam, etiam
Oratori fœcundam, quia vectigali Joannæis laudibus svadæ
pondus & momentum advehentem. Ergóne Joannes ex
concinnata tot titulorum catena in Sapientum etiam Divino-
rum Athenæo Theologus est? Theologorum Virgo est? bene
habet: virgineum astrum est: Virgo est in sole. Accipite ar-
gumentum Theologi, sapientiæ Porphyrii. Una virgine Mi-
nerva, fœcundum Tonantis caput prægravârunt quondam
Gentilium fabulæ, at hodie quotquot videas sublimiorum sci-
entiarum partu fœcundos orbis eruditæ Proceres, tot adora fe-
races virginum vertices, tot uteros mirere non una modò sed
numero Pallade gravidatos, Divini quidpiam & sidera par-
turiætes, si tamen illud quod corruptionis expers est, genera-
ti non ignorat. Vestrum hic ego testor sagaces Parrhasii pe-
nicilli acumen: dum artium scientiarúmque politiorum Ge-

(d) Specul. nios tabulæ instillaturi virgineis (d) vultibus, pudicóque
imag: Ma- Nympharum habitu eosdem animatis. num enim cæli scru-
fæn. taticem oculis exhibuti Astronomiam formosos Helenæ vul-
tus Trojanorum cinerum reos non figuratis? & tessellata stellis
veste Virginæ astris consanguineam non paludatis? num inge-
nii filiam Dialecticen, aut intemeratam veritatis Parentem Phi-
losophiam cerussatis DEArum imaginibus super tapete non
adumbratis? ita quidem: nisi meus glaucomate satiscat oculus,
hisce ego non unam contemplatus in tabula Partheniam
Nympham, artis scientiæ nomen veris subinde coloribus
mentientem. Et verò rectè initiantur, virgineoque amiciun-
tur

tur ornatū mundi sapientioris sponsæ Scientiæ : illæ enim ceu
Vestales quondam vetustioris Romæ (e) Sacerdotes adulterina (e) Liv Dec.
corruptæ doctrinæ abhorrent commercia, & in humano capite
tanquā in capitolino omnīs veri rectique sacrario astrorū coru-
scantium more perpetuum intelligentiæ lumen alunt opitula-
trici suæ Vestæ, Veritati: Eminet has inter & acuminis sub-
limitate, & lucis claritudine, & præcellentiæ prærogativâ,
rerum tractandarum sanctimoniam, Divini urinatrix pelagi,
DEItatis absconditæ examinatrix pupilla Theologia, hæc cæ-
licis genita natalibus, omnem impuri erroris corruptelam ve-
recunda aversatur, pellucidò ratiocinio aëtum purum inve-
stigat, & in vicem vestalis foci ipso meridie trabeata ceu mulier
Apocalyptic sole amicta effulgurat: Virgo est in sole. Som-
nium erat delirantis gentilismi, dum ad fabulosas Zodiaci fe-
ras (f) spiciferam etiam Augusti mensis Virginem damna- (f) Calum
vit, æstivo sole irradiandam; at in terris super Peripati Ca- Poë.
thedris palliatam Phœbo virginem versari Theologiam, non
est nocturnæ imaginis lusus, non est somnium gentilitatis;
si tamen etiam in somnio radiosæ Virginis schemate indu-
tam, magnus ille Venetiarum Præsul Laurentius Justinianus
quondam basiavit Sapientiam, somnium isthuc non
erat exerrantis per noctem phantasmatis umbra, sed perso-
nata erat veritas sub Morphei sipario cothurnum induita.
Verè enim Virgo est & diviniore fœcunda spicilegio cæle-
stis Erigone, Divinæ gemella Sapientiæ Theosophia, pleno
Divini luminis meridie inclarescens; Virgo est, Phœbo
quem speculatur Divinitatis orbe circumfusa. Illa certè si
duodenæ vulgò Athenæum nostrum scholæ concinnant, ad
subsellium Virginis in laureato hoc Zodiaco aspirabit; illa Sa-
pientum vertices, quibus sacro maritatur hymenæo purissi-
mis suis connubiis & virgines facit & soles. Quis enim vir-
gineos inficietur Eximios Divinioris literaturæ Præsides, dum
facerrimè procaces in agninam purissimæ veritatis mode-
stiam, Babiloniæ lupæ impuræ hæresis insurgentes enervant

impetus, dum castissimè, illustres Angelici Doctoris Commentatores altissimos virginis membranæ arcanorum instillant conceptus, instillatos rationum causarūmque firmant conflitu, firmatos stabiliunt, propugnant? Quis Phœbeo inambulare jubari neget Theosophos? dum ipse Facultatis Eximia gentilitius Sceptri gnomon sole incedit cristatus, dum Virgineus Theologorum Angelus Thomas aureo super præcordiis sole sua in effigie illustratur, ipsūmque purpureum Theologicæ epomidis amiculum roseam Phœbi parentem auroram sibi mancipari confitetur? sed quid ultrà solem in Theosopho, Theosophum quæro in Virgine? ipsum solis effudem novus Phaëton ineptè sufflamino, aut ponto præcipitem merge, si Parthenia Theosophica Sapientia lilia & junctum liliis meridiem novis firmare continuem argumentis. Ad te proinde dilapsa tantisper Virginem in sole Angele, illustris in Magisterio Virgo, mea se se recolligit Oratio Joannes Theologe. Theologus es? liquidum est argumentum: ergo Sol es; ergo Virgo es; ita sanè: sidera in sole Virginitas: argenteus litorum nitor aureo diurnæ lucis fulgore dilutus; sed nolim turbare silentiosam in imagine hic coram appensa Patrum, ad vos stylum converto Senatus Populi, que Academice, & Virgineos litorum elysios solarium radiorum aurô in Joanne redimiri afferere progredior. Joannes Sol Virginus, puritatis nive Cynthia est, Sapientia Theologicæ claritudine Cynthitis est, utroque lux, utroque Virgo: indè albicans Magistri Discipulus quia pellucido limpida venustatis lacte candidissimus aureos vitæ suæ soles virginæ semper intemeratae conversationis luce honestabat; indè Virginis DEI Parenti in Filium sub cruce oppignoratus quia non degener à Materna origine, intactam Parentem morum candore æmulabatur; indè Boanerges ex tonitru genitus, quia rara castimoniæ gemma, consveto gemmis ilustrioribus nascendi genere confragosus inter singultus in lumen profundendus erat; indè Sol, siderum Principi parelius, quia

quia Virginitas, quam Augusta suæ mentis regia domestica complectebatur, ipsa sol est. Stupeant jam in Joanne mirandum illud lucis cum liliis foedus, ipsæ stuperi aliæ solitæ Ethnicorum fabulæ, & suspiciant in Dilecto hoc Præceptoris DEI Discipulo, solis ignes prodigiosè cum pudicis nivibus fœderatos, quos ipsæ aliæ fallacibus commentorum suorum deliriis nunquam combinassent. Lustrate si lubet, per me licet, fœcundos antiquorum ludibriis codices, & næ castam Daphnen ab impuris insequentis Phœbi amoribus fugitivam abhorruisse comprehendetis; lustrate: & ut coram serenissimo hoc lenone nativi pudoris conservaret integritatem, pudicis suis votis in laurum indurari obtinuisse, suspicetis; adeò nec solis ignes ab ardoribus Cypridis apud Gentes intaminati erant, ipsusque limpidissimus cæli oculus cæci pueri fascinô excæcari gaudebat. Feliciùs in Joanne, sublimioréque commentis omnibus exemplo utrumque casto cum nexu jungitur, Phœbus ardentissimus cum Daphne intacta, meridies gratiæ cum purpurea verecundi pudoris aurora, Sol cum Virgine, Virgo in Sole. Spectate idipsum ex altissimo Sapientiæ Theologicæ fastigio quod in Joanne hodiedum purpurata sacratiorum Doctorum suspicit Peripatus luculentius illustratum: Joannes Theologus ingenii sui cælitus inspirati fœcundo nisu o! quâm puros semper mente nutriebat conceptus? quâm illimes detersosque ab omni nævo sublimium speculationum partus enitebatur, sole semper pedissequo irradiatos? Ille æternos Filii Divini à Patre Virgine illibatosque natales reliquis Evangelii Historiographis perspicaciùs elucubravit, Ille latente sub immaculati panis specie dapfilem DEUM luculentius in Divinis suis paginis evolvit, Ille salientem per Sionæ agni vestigia candidi exercitûs choream virgineo prophetiæ contemplatus est oculò, Ille Verbi in principio geniti gemellum, mentis ecstaticæ scrutiniô complexus est Verbum, Virgo DEum Virginem speculabatur. Ad sublime MARIANÆ celsi-

celsitudinis cacumen aquilinis remigans pennis Theologus iste propè eluctatus est. Mater Virgo nulli prædicabile Tullio Verbum alvi Maternæ hospitiō suscepit in carne, Joannes eminentissimæ Parentelæ propè par idem antiquissimi oriundum incunabulis Verbum DElpara sua mente est amplexus, imò Virginitatis fœcundæ fastigia pene transiliens invisibiles Filii æterni vultus, quos Virginitas puerpera Spiritu Divino obumbrante, velut in umbris comprehen-dit, Ipse cælesti Paraclito illuminante in ipso lucis diurnæ meridie, subtilis Protogenes intrà se se effigiavit. Virgo erat DEO fœcunda, sed in sole Divinæ lucis effulgorantis, Divinos eructabat conceptus amica Phœbi lucinâ ematuratos. Admirabantur Virginem hunc in Sole partum aliás mirari nescii cæli, cælicisque castris antemurali ambitu circum-aggestæ nubes, & Joanni limpidos Verbi in principio existen-

(g.) Baron
Anno Chri.

29.

Aggregata tonitruorum boatu, ful-gureisque intermicantibus scenis soecum luserunt altissimi Evangelii natales genetliaco applausu fortassis adoraturæ. Usque adeò pretiosus est astris lacteus liliorum candor diurnæ lucis diluvio depuratus! usque adeò speciosa & terris Parthenia Theosophi mens Verbi caro facti Numine gravi-data, ut Joannem emaculato creaturæ nomine in Divinam quandam evasisse naturam obstupescam. Si enim ea est facultatis intelligentis vis ac cerea docilitas ut Proteus formarum intellectus cognoscendi efficacia ipsis rebus appre-hensis se se configaret, felices Theologi! felix Theologorum Porphyrogenitus Joannes! quia dum artifex mundi Verbum intimò mentis absorptæ ferebat gremiò, in Verbum ipsum, Virgo in solem Contemplator DElficus inau-dita apotheosi transformabatur; altissima rimando mysteria fiebat Virgo cum Virgine, lumen cum lumine, Sol cum So-le. Nè mirere amplius effusum Adamantii amorem in Jo-

(h.) Ante (i.) Origen. anne (i.) JESUM alterum perenni elogio venerantem; Præf. in Ev. erat gemellus Theandri Achates, non naturæ humilioris æqui-

æquilibriō, qua Magistrum DEUM homo Discipulus immensis parasangis ante se adorabat, sed cogitationis DEI imagine fœcundatae privilegiō. Effulgurabat hæc Divinitatis inaccessæ ectypa icon adeò vivis in Joannis contemplabundi animo lineis, ut ipsas DEO plenas, Verboque Divino divites cælestium Geniorum Intelligentias ideali vigore asserueretur. Quin imò anteverteret sic contemplando Angelos cæli, terraque Theologus, à quo Demosthenis aurei (k) Chrysostom. Praef. in Joan. oraculo, ipsi Angelinobiscum didicerunt, quæ cognovimus. M- ruit nimirum Angelicos Discipulatus Virginitas Angelis in Joanne felicior, & Theologiæ Sol in auge refulgens dignissimus videbatur, sub cuius ferulam astra convolarent matutina, depluis à fonte lucis sapientiæ fulgoribus amplius locupletanda. Sed enim ut solaribus irradiatæ flammis Virgineæ in Joanne nives amplius etiamnum inclarescant, facilem mili Senatus Populéque Academice oris frontisque Vestræ peregre abiturae favete vultum, & remigaturum alis oculum commodate: me Duce & Authore vadousum: sinè transtris & liburnica sulcabitis Adriam; ad insularem Cypri appellatis portum, & per Thracicas Ambracidum Terras, sacrata filiæ Sion mænia, vallis circumdatum Palaestinæ corculum, legis antiquæ bustum, novæ Phœnicem, urbem subintrabitis Hierosolymam. Illic oculos illuc animos! jämque nisi fallor, mentis celerrimæ remigiō ad ipsam in urbe sancta portam, cui triumphali pegrinate ad omnem nitorem incrustatus arcus Speciosæ nomen imposuit, hospites Euroæ celeriores advolantis: & admirandum spectaculum quo non Circensisbus Olympiaeisque ludis amoenius, venustiusque ostentum! non hic ego magnificam illam sapientissimi Regis aurò undique depluō luxuriantem visui propino. Basilikam, non marmore cataphraustum Sionis objicio castrum, non æneum mare, aut harugis trepidantibus sumantes offero aras, non summi Pontificis cedarim obryzò loricatam spectabilem exhibeo, non cælos fastuosè arridentia Magnatum Solymæorum palatia in

proscenium adduco, sed unum solummodo DEI cœnantis in-
colatu nobilitatum, digitali verbere pulso coenaculum: & en!
quām feliciter: Aperitur limen pulsanti, patet conclave DEI
vestigiis pavimentatum, explicatur tabula epulis Angelorum
instruenda, circumfunditur illi Apostolicā redimitus coronā
Sol Justitiae DEUS carnis nube amictus, & (familiarem obstu-
pescite propè audaciam) Virginum Piscator, Apostolorum Vir-
go Joannes gremium Magistri in cervical substernit vertici suo
convivaturo. Quid agis tanto sinui indormiscens nec erubef-
cens verecunda innocentia? An nescis quantis venustam Re-
gum Majestatem homagiis subjecta veneretur mortalitas,
quantis Sceptra & Tiaras orbis honoribus adoret? substernit il-
la coronatis verticibus in suppedaneum humeros & capita, iste
florulentum tergus suum Purpuræ explicat in scabellum; su-
spicio humanæ mortalitat̄ obsequia: at è vili pectorum ele-
ctum gremio servum, Regum Primicerii ferace prodigiorum
sustentari sinu, non percipio: terram, vultu hominis palliatam
in pectore solis æmulo reclinem deliciari, non comprehendo:
inconsulti sanè arguerem consilii no vum in mensa novæ legis
discumbendi ordinem, exoticos cœnæ Paschalis damnarem u-
sus, exlegémque Symposii legalis pompam ad ultimam relega-
rem thulem, nisi in allegorico cœnæ Dominicæ Zodiaco Virgi-
nem requirerem Sole paludatam, ut quemadmodū Augusto re-
gnante è sinu Virginis ortus est Sol Virginum, ita etiā Augusti
sidere, Virgine in pectore Solis Justitiae JESU emicante, Au-
gustale Virgines germinans Sacramentum nasceretur; nimirum:
Mensem Augustum attonitis ad mysterium Cælitibus Augustif-
sima tunc mensa effigiabat: & veluti sole Virginem irradiante
Ceres aurō flavescere, uva meraci intumescere consuevit san-
guine, ita in istis amore Promocondo adornatis obsoniis, fru-
mentum electorū, scyphūisque sub vitis fletu sanguineus in fer-
culum vitæ maturabatur. Fulgurabat tunc Sol in Virgine, &
in Sole solus Virgineus Joannes Dominicæ Charitatis indulto,
Collegis Apostolis non concesso, sopore Prophetico indor-
mif-

miscebat. O dormi dormi ecstaticō entheate Morpheō Di-
vinitatis Discipule! & ex Magistri gremio velut ex lucis fonte,
radiorum cælestium sorilla rivos, è sinu Domini intimam sa-
pientiae erue medullā, Sacramentorum hauri mysteria, quibus
ad sobrietatē ingurgitatus oracula eructes, in posthumis Theo-
logorum Lyceis subtiliore scrutinio ruminanda. Quamquam
quid innixum Soli Theandrico Joannem ad papaverum otia
accerso? quid ad ciñerias Morphei scenas sub meridiē invito?
secuturam nocturnæ quietis præfigio insomniam, si Sapientiae
Incarnatae radiis circumfusum ad aucupanda soporis adhortor
respiria: fastidiunt amicas lunæ delicias insomnes palpebræ
quibus capillatus dormitur meridies, tardiùs sub vesperam di-
urnus somniator indormiscit; nec vanum est præfigientis vati-
cinium: qui sub meridiem, Solis Justitiæ in sinu, soporabatur
Evangelista, vita vesperā senectutem à mortis sopore diu im-
munem, imò etiamnum fortè exemptam prorogavit: altercan-
tibus jam antehac inter se Condiscipulis (1) *quia Discipulus ille*
non moritur. Accumula proinde pyras, Ætnæ vome incen-
dia, aheneum æstibus exacerba dolium, oleæ lacrymas scintil-
lis misce ardentibus somniate Palladis fili, crudelitatis Deaster
Domitiane! Triumphalem Portæ latinæ inscribo epigraphen:
non moritur. formosior ex Palladiæ pinguedinis furiis Joana-
næa egreditur Virginitas prudentibus Evangelii annumeranda
Nymphis: (m) quæ acceperunt oleum in vasis. exuberans verò (m) Mat-
in Theologo sapientiae lux affuso olei nutrimento vehementius
exundabit, & Ipse, Virgo Martyr in Sole deinceps fulgebit oli-
væ sudoribus ad luminis incrementa saginato; & verò in ter-
ris adhuc non claritudinis duntaxat, verū & quadruplici Be-
atorum dote redimitus videbatur: in colle Sioneo Diviniore
perfusus claritate è sinu solari: Virgo in Sole; in apice Golgo-
theo Spiritus nactus sublimitatem cum Cynthio ipso occidente
uniebatur, Electæ ut Sol, Filius accrescens: Virgo in Virgine; ante
Portam latinā immortalitate atque impassibilitate decorata
suspiciebatur, occasus omnis ignarus, serenor atque vege-
tior:

tior: Sol in Virgine; Patineas inter illustrationes, ubi pernici
agilitate in DEUM ipsum tollebatur conformis objecto coru-
scabat: Sol in Sole. Sion Ei Pyroentem, Golgotha ministravit
Eoum, Aethon in Patmo, Phlegon ante Latium junctus, nec il-
lustrissimis oleum defuit quadrigis, quo augustinus in solem, &
supra solem, in Divina, quia in DEUM ipsum raperetur.

Effulge tandem fonte ipsi luminis penitus in Empyreo
immerse Sol Virginee! non iam radiantes Tibi solaris oceani
stillas Thaborium offundit sifarium per speculum & in æni-
gmate, sed Phœbeos longè opacans splendores, profusa ipsa
DEItatis abyssus immensus in Te reflectit lumen gloriae facie
ad faciem; effulge nec in te solum radiatus, verum & in ful-
gidissimo Universitatis Nostræ emicabis horizonte: tot Aquina-
tes in pectoribus singulorum reperturus Parelios, quot jubar ac-
ceptum in Te reflectentes, splendoris Tui adeptus es Promo-
tores. Sed quid ego, perturbatis jam ad tantum lumen caliganis
svadæ conatibus, in Tuum S.P.Q. Academice gremium
reclinem cupio seu clarescere seu conquiescere Theologorum
verticem? nullus DEIfica huic & soligenæ Virginis sat proportion-
atus sinus est, nisi Sempiternus, nisi Theandricus, in quo
condigne incorruptio perenniter meridietur. Virginem
cupiebam exhibere in Sole facundia illustrante: & solem
exhibui in nube præconio obseurante. Nè succensueris Pal-
lias Theologa obscurore hodie comitata alite, caligini asveta,
non lumini: oportebat fortasse Virginum umbraculum obtendi,
ut suus Ei in sole candor haud decolor permaneret. Atque
utinam eodem cum Joanne sinu fatisceens svada mea conqui-
escat, & nunquam beatorem eaterminum sortita fuisset, nun-
quam epilogum ornatiorem; cui si non licet Dilectos sacram

(n) Ps. 187.
v.6.

Apollini inscribere epigraphen (n) in sole posuit Taber-
naculum suum, liceat saltēm Virginis Solis intu-
itu, in Mannoniam, Ei jugiter vocalem,
statuam obrigescere;

D I X I.